



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Omnes Fideles. Praecipit vt Ticinensi episcopo, cui potestatem excommunicandi tribuerat, obediant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

rei causa missum prudentem dirigimus Rauennam; cui ea, quæ nobis mandastis contra te acta fuisse, diligenter inquirere iubemus, vt eos qui talia, vt asseritis, egerunt, sub fideiussore, talique legato obliget; quatenus ipsi de præfenti Romam compellantur venire. Quibus sane venientibus, volumus vt & vos pariter veniatis Kalendis Octobris, sicut tibi pro celebranda etiam Synodo iam præceptum est, quia in præsentia nostra causam tuam volumus deliberare: quoniam nos, secundum datam nobis diuinitus potestatem, more præcessorum nostrorum vos adiuuare omnino curabimus; nam volumus vt honor sanctæ Rauennatis ecclesiæ semper indiminutus permaneat. In hoc tamen redarguendus es, quia dimissa ecclesia tua Rauennæ, per alienas ecclesias contra tuam sponsonem discurras, & resides: nam pro his quæ tibi euenisse dicis. Data vt supra. Decft ali-  
quid.

EPISTOLA CCXIX.  
IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD OMNES FIDELES.

Præcipit vt Ticinensi episcopo, cui potestatem excommunicandi tribuerat, obediant.

*Omnibus reuerendissimis & sanctissimis episcopis, seu eximiis  
marchionibus, & comitibus, cunctisque sanctæ Dei  
ecclesiæ fidelibus.*

**H**ABENTES omnium ecclesiarum Dei, secundum Apostolum, sollicitudinem, dignum duximus vestram industriam his apostolatus nostri literis admonere, atque apostolica benignitate magnopere exhortari: quatenus potentia munus, quod diuina largitate habetis, vtilitati ecclesiæ, & honori sacerdotali prodesse debeat semper. Quapropter reuerentiam & honorem sanctæ Ticinensi ecclesiæ quæ speciali quodam modo sedi apostolicæ pertinere videtur, eiusque antistiti Ioanni videlicet confratri nostro, cui vice nostra transgressores excommunicandos commisimus, eo videlicet tenore, vt quos ipse excommunicauerit, ipsi excommunicati existant. vt ei auxilium alacriter impendatis, monemus, nullamque contrarietatem, vel inuasionem in rebus, vel hominibus ipsius ecclesiæ quamli-

*Concil. Tom. 24.*

K k



bet facere permittatis: quin potius vestro eos solatio tueri pro Dei, nostroque amore diligentissime studeatis; sed & clericos illius nemo vestrum in commendatione, aut sub alicuius defensionis obtentu, absque prædicti episcopi sui licentia recipere præsumat. Quod si contra hoc nostrum apostolicum statutum aliquis suorum clericorum agere tentauerit, ecclesiastica sit tam acceptor, quam acceptus communionem priuatus. Data vt supra.

## EPISTOLA CCXX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ROMANVM ARCHIEPISCOPVM

RAVENNATEM.

Præcipit vt Romam ad Synodum veniat.

*Reuerendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo sanctæ ecclesiæ Rauennatis.*

**S**ICVT iam olim vestra præcepimus reuerentiæ, vt pro multis ecclesiarum Dei necessitatibus quarto Idus Octobris Romam venientes, Synodum pariter celebraremus; nunc iterato his apostolatus nostri literis fraternitati vestra iubemus, vt omni mora, vel occasione postposita ad denominatam Synodum, quam Deo auctore, in prædicto tempore celebraturi erimus in ecclesia beati Petri principis apostolorum, cum suffraganeis tuis episcopis occurrere nullatenus prætermittatis: quia nos omnium ecclesiarum Dei vtilitati & exaltationi, sicut oportet, pari consensu & decreto more præcessorum nostrorum consulere volumus. Et ideo vestram, secundum sacros Canones vnanimitatem adesse volumus; quatenus ecclesiæ Dei vigor, Christo fauente, per synodalem censuram illibatus permaneat. Quapropter si in veniendo nunc aliquam moram, vel negligentiam admiseritis, scitote quoniam canonica vos redarguemus censura. Optamus sanctitatem tuam. &c. Data XI. Kalendas Octobris, indictione XIII.